e-codices

glossa:
† Sicut octaua parſ octieſ facta plenum numerū fecit. Ita ſemitoniū ſi uere eſſet octaue partiſ dimidiū octieſ ductū: medietatē impleret.

Rurſuſ ccxliii. ſi ccxvi. comparantur. erit altera ſeſquioctaua proportio. Nam eorū differentia xxvii. parſ ducentorum xvi. probatur octaua. Reſtat comparatio ducentorum quinquaginta vi. ad ccxliii. quorum differentia eſt xiii. qui octieſ facti medietatē ducentorum quadraginta trium non uidentur implere; † Non eſt igitur ſemitonium. ſed minus a ſemitonio. Tunc enim integrū eſſe ſemitonium iure putaretur. ſi eorum differentia quae ē xiii. facta octieſ. medietatē ducentorū quadraginta trium numerorū potuiſſet aequare. Eſt que uerū ſemitoniū minuſ. ducentorum quadraginta trium ad cclvi.

coparatio. DIATESERON. AB DIAPENTE TONO DISTARE. xviii

Rurſuſ diapente conſonantia uocum quidem quinq; interuallorū quattuor. trium tonorū & minore ſemitonio. Ponatur enim idem numeruſ cxcii. & eiuſ ſeſqualt ſumatur quia de eum diapente faciat conſonantiam. Sit igitur numeruſ. cclxxxviii. Igitur horū & ſuperiuſ deprehenſorū cxcii. ponantur in medio numeri hii ccxvi. ccxliii. cclvi. & ſit hoc modo formata deſcriptio. cxcii. ccxvi. ccxliii. cclvi. cclxxxviii. In ſuperiori igitur deſcriptione cxcii. & cclvi. duo tonoſ & ſemitonium continere monſtrati ſunt; Reſtat igitur comparatio ducentorum quinquaginta vi. ad cclxxxviii. quae ē ſeſquioctaua id eſt tonuſ. Eorumq; differentia ē xxxii. quae ē octaua parſ ducentorū quinquaginta atq; ſex. Itaque monſtrata ē diapente conſonantia ex trib; toniſ ſemitonioq; conſiſtere. Sed dudum diateſſeron conſonantia ~~ex tribus tonis~~ a centum nonaginta duob; numeriſ uſque ad cclvi uenerat. Nunc uero diapente ab eiſdem cxcii numeriſ uſq; ad cclxxxviii diſtendit. Superatur igitur diateſſeron conſonantia a diapente ea proportione. quae inter ducentoſ lvi. & cclxxxviii. numeruſ continetur. At eſt hic tonuſ; diateſſeron igitur ſimphonia a diapente tono tranſcenditur;

DIAPASON V TONIS ET DUOBUS SEMITONIIS IUNGI.

Diapaſon conſonantia conſtat ex quinq; toniſ & duob; ſemitoniiſ. quę tamen nonunū impleant tonum. Quoniam enim monſtratum eſt diapaſon ex diateſſeron & diapente conſiſtere diateſſeron uero probata eſt ex duob; toniſ ſemitonioq; conſtare. Diapente ex trib; toniſ ac ſemitonio ſimul iuncta efficiunt quinq; tonoſ. Sed quoniam duo illa ſemitonia non erant integrę medietatiſ eorum coniunctio ad plenum uſq; non peruenit. ſed medietatem toni quidem ſuperat ab integritate relinquitur; Eſt que diapaſon ſecundum hanc rationē ex quinq; toniſ & duob; ſemitoniiſ; quae ſicut ad integrū tonum non aſpirant ita ultra integrum ſemitonium prodeunt. Sed q; horum ratio ſit. ut quemadmodū ipſae conſonantiae muſicae reperiantur. poſtea liquidiuſ explanabitur

Lizenz: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 36 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/de/sbe/0298/36)